ad satisfactionem præscriptam ; episcopi enim habent jus imperandi sub gravi, in materia gravi : porro supponitur materiam esse gravem, et excommunicationis denuntatio est signum gravissimi mandati : ergo.

A revelatione tamen excusantur in jure 1° qui revelationem facere non possent sine periculo vitæ, infamiæ, alteriusve gravis damni sibi aut suis propinquis imminentis ; 2° consanguinei et affines usque ad quartum gradum, nisi de hæresi, proditione regni, ac de aliis ad bonum commune patriæ aut religionis spectantibus ageretur ; quo in casu nemo eximitur, præter sceleris auctores et complices ; 3° famuli respectu dominorum suorum, nisi ageretur de criminibus intra familiam patratis quæ a solis domesticis probari possent ; 4° qui rem sub secreto naturali sciunt, ut advocati, notarii, medici, obstetrices ; 5° ecclesiastici viri, si de causis capitalibus agatur, nisi bonum generale id postulet, quia Ecclesia abhorret a sanguine ; 6° qui rem imperfecte norunt, vel eam didicerunt ab alio qui eam revelavit, quia eorum testimonium nihil adderet.

Qui vero nulla causa exempti, intra tempus determinatum revelationem non facerent, mortaliter peccarent, et excommunicatione majori ligarentur in ipso termini elapsu.

Quando intra tempus assignatum nulla fit revelatio, nova obtineri potest sententia quæ dicitur aggravatio, et deinde tertia quæ appellatur reaggravatio. Tres illæ sententiæ una et eadem sunt censura, cum diversis circumstantiis terrorem excitantibus iterata, juxta quosdam ; secundum alios, tres exprimunt gradus excommunicationis ; prima bonorum spiritualium communium interiorem privationem significat ; secunda, privationem communionis in civilibus cum cæteris Christianis, et tertia prohibet ne fideles cum excommunicato in rebus etiam profanis communicent.

Prima sententia simpliciter legitur intra Missarum solemnia ; quando aggravatio pronuntiatur, interea campanæ pulsantur, cerei accensi exstinguuntur, et in terram

projecti conculcari solent, feretris passim in ecclesia expositis, aliisque terribilibus cæremoniis simul adhibitis, ut videre est in Decreto, part. 2, causa 11, q. 3, can. 106. Deinde per reaggravationem judex ecclesiasticus sub pœna ejusdem anathematis prohibet fidelibus ne quamcumque habeant societatem cum homine tali anathemate percusso. Hinc vulgaris opinio homines, ab humana societate sic repulsos et Satanæ traditos, in horrendas bestias verti, vocari populariter *loups-garous*, per noctem circumvagari, cum occurrentibus pugnare, etc.

Opinio tamen monstrorum dictorum *loups-garous* antiquior est excommunicationibus per monitoria latis, ut videre est in Actibus Sanct. Boll. t. II, p. 503, nota A. Apud Græcos et Latinos jam pridem invaluerat tempore Plinii majoris qui eos hac de re suggillat, l. 8, cap. 22.

Notandum triplicem olim fuisse excommunicationis speciem, scilicet simplicem, quæ solis verbis proferebatur ; *anathema*, quod cum solemnitate et pluribus adhibitis cæremoniis, ad ostendendam sceleris admissi enormitatem, pronuntiabatur, et *maranatha*, quo excommunicatus ab Ecclesia derelictus, ad solius Dei judicium remittebatur. *Bened. XIV*, de Synodo diœces., l. 10, cap. 1, n. 7.

CAPUT SEXTUM.

DE SUSPENSIONE.

Suspensio est censura privans clericum, ex parte vel ex toto, usu potestatis quam habet ratione ordinis, officii vel beneficii. Igitur alia est totalis, quæ suspendit ab ordine simul et ab officio, ac beneficio, et alia partialis, quæ ab ordine tantum, vel ab officio, vel a beneficio suspendit. Hinc suspensio ab aliis censuris in eo differt, quod in solos clericos fieri possit, quia ii soli potestatis ecclesiasticæ sunt capaces. Impropriis ergo vocibus utuntur qui de clerico aliqua suspensione innodato loquentes, dicunt eum esse interdictum.

Suspensio non est essentialiter censura proprie dicta: aliquando infertur ad puniendam culpam præteritam, ut habetur in Decretal. l. 2, tit. 20, cap. 33, vel ad vitandum scandalum, præcavenda sacrilegia, etc., ut eruitur ex cap. 10, tit. 34, l. 5. Hæc promiscue intelliguntur ab auctoribus sub nomine suspensionis, et eosdem communiter habent effectus.

Inter suspensiones, aliæ jure communi latæ sunt; aliæ ab ordinariis feruntur per statuta diœcesana, et aliæ per sententias speciales, quæ dicuntur ab homine.

Præcipuæ suspensiones in jure communi existentes.

Aliæ sunt contra episcopos, aliæ contra regulares et aliæ contra clericos, præter illas quæ attingunt conventus et capitula.

Contra episcopos, 1° ordinantes religiosos non professos, S. Pius V, Const. *Romanus pontifex;* 2° ordinantes non subditum, absque licentia ipsius Ordinarii, Concil. Trid., sess. 23, cap. 8 de Reform.; 3° conferentes Ordines simoniace, Extrav. l. 5, t. I, cap. 2; 4° conferentes tonsuram clericalem infanti, illitterato, aut conjugato, Sexti l. 1, tit. 9, cap. 4; vel ante ætatem præscriptam Ordines sacros conferentes, Decretal. l. 1, tit. 11, cap. 14; 5° submittentes laicis bona et jura Ecclesiæ absque consensu capituli et Sedis Apostolicæ licentia, Sexti l. 3, tit. 9, cap. 2; 6° alienantes bona Ecclesiæ, Extrav. comm., l. 3, t. IV, c. unico; 7° accedentes ad ecclesias ad quas fuerunt promoti, nondum expeditis Litteris Apostolicis suæ promotionis, Extravag. l. 1, tit. 3, cap. 1.

Contra regulares, 1° recipientes alumnos ad professionem ante annum probationis, Sexti l. 3, tit. 14, cap. 2; 2° non deferentes habitum regula determinatum, Clement. l. 3, tit. 10, cap. 1, § *Si quis;* 3° apostatas sacros Ordines in apostasia suscipientes, Decretal. l. 5, tit. 9, cap. 6; 4° Ordines sacros ante professionem suscipientes, S. Pius V, Const. *Romanus pont.;* 5° introducentes mulieres intra claustra monialium, S. Pius V, Const. 20; 6° capitulares

recipientes prælatos eisque obedientes absque Litteris Pontificiis, Extrav. l. 1, t. 3, cap. 1.

Contra clericos: 1° recipientes Ordines sacros ante legitimam ætatem, Decretal. l. 1, tit. 11, cap. 14; 2° recipientes hos Ordines extra tempora absque legitima dispensatione, S. Pius V, Const. *Cum ex sacrorum;* 3° recipientes Ordines non servatis interstitiis sine dispensatione, Decretal. l. 1, tit. 11, cap. 8; 4° recipientes Ordines ab alieno episcopo absque proprii episcopi licentia, Decreti part. 1, dist. 71, cap. 1, et Concil. Trid. sess. 23, cap. 8 de Reform.; 5° recipientes Ordines sacros ab eo qui renuntiavit episcopatui et non sedi suæ tantum, Decretal. l. 1, tit. 13, cap. 1; 6° recipientes Ordines a proprio episcopo in aliena diœcesi, absque licentia episcopi illius loci, quo in casu episcopus ordinans est etiam suspensus, Concil. Trid. sess. 6, cap. 5 de Reform.; 7° recipientes Ordines a schismaticis, vel ab excommunicato aut suspenso, Decretal. l. 5, tit. 8, cap. 1, et l. 1, t. 13, cap. 2; 8° recipientes scienter Ordines dum sunt aliqua censura ligati, Decretal. l. 5, tit. 39, cap. 32; 9° Ordines sacros per saltum suscipientes, Decret. l. 5, t. 29, c. unico, et Concil. Trid. sess. 23, cap. 14 de Reform.; 10° duos Ordines majores eodem die vel duobus immediate sequentibus diebus recipientes, Decretal. l. 1, tit. 11, cap. 13 et 15; 11° recipientes Ordinem sacrum post matrimonium contractum etiam non consummatum, Extrav. Joan. XXII, tit. 6, cap. unico; 12° recipientes Ordines sacros cum litteris capituli, sede vacante, ante annum elapsum, Concil. Trid. sess. 7, cap. 10 de Reform.; 13° Parochos jungentes matrimonio sponsos alterius parochiæ, sine licentia parochi vel episcopi, Concil. Trid. sess. 24, cap. 1 de Reform.

Suspensiones præcedentes multum variantur quoad extensionem, durationem, reservationem et alias circumstantias, ut videre est in locis citatis. Multæ summo Pontifici sunt reservatæ: attamen episcopi absolvere possunt, per se vel per alios, 1° ab eis quæ sunt occultæ et ad forum contentiosum non deductæ; 2° ab eis quæ sunt

publicæ, quando recursus ad summum Pontificem est moraliter impossibilis; 3° in omni casu ab eis quæ incurruntur suscipiendo Ordinem per saltum, vel extra tempora, vel ante ætatem legitimam, vel ab alieno episcopo absque litteris dimissoriis, vel ab episcopo excommunicato, vel cum dimissoriis capituli ante annum, etc., et extraneos parochianos matrimonio jungendo. Vide *Coll. Andeg.*, *Contin. Tournely*, t. IV.

Præterea sedulo discendæ et memoria retinendæ sunt suspensiones unicuique diœcesi propriæ, et quæ reperiuntur in Rituali, vel in statutis synodalibus. In Statutis nostris anni 1851 declaratur eum qui habet potestatem absolvendi a reservatis, non ideo absolvere posse a suspensione, nisi adsit probabile periculum scandali aut infamiæ, et ea conditione ut sic absolutus teneatur, *per se vel per confessarium, ad nos intra mensem recurrere, sub pœna reincidendi in suspensionem.*

Notandum periculum mortis non esse rationem cur sacerdos simpliciter approbatus absolvere possit a suspensione, quia suspensio susceptionem sacramentorum non prohibet, excepta promotione ad Ordinem superiorem.

Effectus suspensionis.

1° Suspensio simpliciter dicta semper est totalis et omni usu potestatis ecclesiasticæ privat : suspensio vero partialis aliqua parte tantum hujus potestatis privat, id est, ea parte quæ in lege, statuto vel mandato, aut sententia exprimitur.

2° Qui suspensionem violat, mortaliter peccat, nisi ignorantia invincibili aut alia causa legitima excusetur, quia Ecclesiæ in re gravi resistit. Potest tamen ea facere quæ a laicis fieri solent, v. g., baptizare sine solemnitate in necessitate, cantare in choro laicorum more, divinum cium privatim recitare.

3° Suspensus ab Ordine non solum mortaliter peccat actum Ordinis exercendo, sed fit irregularis, *ut dicemus infra.*

4° Suspensio ab Ordine simpliciter, privat exercitio

cujuslibet Ordinis, quia tunc nulla est ratio cur ad unum ordinem potius quam ad alterum terminetur : suspensio vero ab Ordine superiore, exercitium Ordinis inferioris non impedit, quia unus ab alio separari potest, et odia restringi convenit. Unde episcopus a pontificalibus suspensus, Missam celebrare et sacramenta, præter Confirmationem et Ordinem, administrare potest. Verum disputatur inter theologos an suspensus ab Ordine inferiori, functiones Ordinis superioris exercere possit : quidam negant, alii probabilius affirmant, modo inferior Ordo, a quo suspensus est, cum superiori non sit ita connexus ut ejus functiones exercere debeat, Ordinem superiorem exercendo : hinc suspensus a diaconatu Missam celebrare non posset, quia evangelium legeret; sed episcopus a facultate dandi tonsuram suspensus, alios Ordines subditis jam tonsuratis conferre posset.

5° Suspensio a jurisdictione privationem jurisdictionis importat ex toto vel ex parte, prout est totalis vel partialis, non vero exercitium Ordinis, nisi id exprimatur, aut agatur de iis functionibus Ordinum quæ exercitium jurisdictionis aliquo modo includunt. Unde episcopus suspensus a jurisdictione, diœcesim suam administrare, censuras ferre, etc., non potest : sed Ordines conferre, Confirmationem administrare, Missam celebrare non prohibetur.

6° Suspensio ab officio, sine limitatione, privat usu cujuscumque ministerii ecclesiastici, tum Ordinis, tum jurisdictionis, quia officium ecclesiasticum, sine addito, hæc omnia complectitur. Unde parochus suspensus ab officio, nec Missam celebrare, nec prædicare, nec catechizare, nec officiis Ecclesiæ præesse, nec sacramenta ministrare potest. Reddit etiam inhabilem ad obtinenda beneficia vel officia ecclesiastica, vel ad ea conferenda, ut recte concluditur ex Decretal. l. 1, tit. 4, cap. 8.

7° Suspensus in uno loco, ubique habendus est ut suspensus; sic expresse habet Glossa in can. 24, q. 1, causæ 7, 2ᵃᵉ partis Decreti.

8° Actus Ordinis a suspenso etiam non tolerato exerci-

ti, sunt quidem graviter illiciti ex parte exercentis et ex parte petentis, nisi gravis causa excuset; sed nihilominus sunt validi, quia, ut supponitur, pendent solummodo a charactere. Actus vero jurisdictionis a suspenso tolerato facti, sunt ex parte ipsius illiciti, excepto casu magnæ necessitatis proximi, et tamen validi, ex bulla *Ad vitanda scandala* : sed, ex eadem bulla, actus jurisdictionis a suspenso nominatim et publice denuntiato exerciti, prorsus nulli sunt, quia hujusmodi clericus omni potestate destituitur : tales habendi sunt parochi qui per sententiam ab homine nominatim suspenduntur.

Sed notandum, ex dictis in Tractatu *de Ordine*, cap. 7, simplicem facultatum revocationem sufficere apud nos ut actus parochorum non titularium et a fortiori vicariorum fiant invalidi; proinde, nec suspensione nec denuntiatione opus esse, si velit episcopus.

9° Suspensus a beneficio, vel etiam simpliciter suspensus, titulum beneficii non amittit, sed fructus durante suspensione non facit suos, et eos restituere tenetur. Potest tamen ea desumere quæ ad necessariam sui sustentationem necessaria sunt, modo non obstinate insordescat in censura, et eas obligationes beneficii expleat quibus suspensio non interdicit, *S. Ligorius*, n. 316; *Collet*, etc. In præsenti rerum statu, apud nos raro supersunt fructus beneficii seu officii ecclesiastici, sublata portione ad necessariam titularis sustentationem requisita. Raro igitur ex hac parte dari potest obligatio restituendi.

Notandum insuper clericos suspensos stipendia pro obeundis muneribus ecclesiasticis taxata percipientes, peccare sine ullo dubio mortaliter obeundo functiones a quibus suspensi sunt; tamen hæc stipendia faciunt sua eodem modo ac non suspensi, ut asserit *Coll. Andeg.* Ratio est, quia cum hæc ex beneficio non proveniant, ab Ecclesia non censentur interdicta, nisi clare exprimantur : at jus canonicum ea nullibi expresse prohibuit percipi : ergo, etc.

10° Quando suspensio est occulta, absolutio ab illa datur sub forma generali : *Absolvo te ab omni vinculo*, etc.;

ubi vero est publica, vel absolutio conceditur in foro interno, et alia non adhibetur forma; vel in foro externo, et tunc specialis ad hoc obtinenda est licentia a superiore, et adhibenda forma solemnis in Rituali determinata.

De depositione et degradatione.

Depositio et degradatio sunt gravissimæ pœnæ, non vero censuræ, quia non decernuntur per modum remedii medicinalis : assimilari tamen solent suspensioni, quia solis clericis infliguntur, et privationem beneficiorum ac honorum ecclesiasticorum inducunt.

Depositio virum ecclesiasticum non solum privat usu potestatis ecclesiasticæ, sed ipso titulo : est igitur ex se pœna perpetua et irremissibilis.

Degradatio est solemnis omnium titulorum, privilegiorum, honorum et insignium ecclesiasticorum privatio, ita ut degradatus, solo sibi remanente charactere indelebili, ad conditionem laicalem reducatur. Cunctis ornamentis suo Ordini competentibus indutus, in publicum profertur, et episcopus eum exuit, unum ornamentum post aliud extrahendo, sicut in ordinatione eum successive induerat, sed modo inverso, incipiens scilicet a paramento ultime collato. Deinde caput ejus abraditur ut ne unum quidem clericatus vestigium in eo remaneat. Sic olim degradari solebant clerici qui de aliquo crimine convicti, ultimo supplicio vel aliis pœnis infamantibus plectendi erant : jam pridem hæc terribilis cæremonia obsolevit in Gallia; communius æstimant canonistæ nostri eam cessasse versus finem decimi sexti sæculi.

CAPUT SEPTIMUM.

DE INTERDICTO.

Interdictum est censura qua usus quorumdam sacramentorum, participatio divinis officiis et sepultura ecclesiastica prohibentur.

Dividitur in locale, personale et mixtum. Interdictum

locale immediate afficit locum et mediate personas in eo degentes, sive incolas, sive extraneas; personale, e contra, immediate afficit personas et eas ubique sequitur; mixtum simul afficit locum et personas, ut, v. g., si civitas et cives ejus interdicantur.

Interdictum, tum locale, tum personale, potest iterum esse generale, vel particulare : est generale, si omnia loca sacra vel omnes incolas, vel simul loca et personas alicujus urbis, provinciæ aut regni afficiat : contra vero, si quædam loca determinata vel aliquas personas tantum afficiat, est particulare.

Effectus interdicti sunt : 1° prohibitio celebrationis et auditionis divinorum officiorum sub peccato mortali. Attamen, quia ex stricta hujusmodi statuti observatione excrescebat indevotio populi, ut ait Bonifacius VIII, in Sexti l. 5, tit. 11, cap. 24, permisit idem Pontifex maximus ut in generali alicujus loci interdicto, singulis diebus in ecclesiis et monasteriis Missæ celebrarentur aliaque divina officia dicerentur, *sed submissa voce, januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis.* Solemniter vero hæc fierent in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes et Assumptionis B. Mariæ Virginis, solis excommunicatis exclusis; quod Martinus V et Eugenius IV ad quasdam alias festivitates extenderunt.

2° Privatio usus activi et passivi sacramentorum, solis exceptis Baptismate, Pœnitentia, Confirmatione ac S. Viatico in periculo mortis, non autem Extrema-Unctione, Decretal. l. 5, tit. 39, cap. 43, et Sext. l. 5, tit. 11, cap. 9.

4° Privatio sepulturæ ecclesiasticæ, ut in pluribus juris canonici locis habetur : in loco interdicto nemo sepeliri potest, nec etiam infans, sed interdicto cessante, omnes in loco sacro reponendi sunt; in interdicto personali generali, personæ quæ non fuerant nominatim denuntiatæ, in loco sacro sepeliri poterant cum silentio et absque campanarum pulsatione : eruitur ex Clementin. l. 3, tit. 7, cap. 1, et ex Glossa.

Si episcopus aliquam ecclesiam, ob crimen in ea patratum vel ob gravem injuriam ei illatam, interdicat, ut quandoque accidit, conditiones interdicti in sua sententia exprimit : eis sedulo standum est.

Sæpius olim summi Pontifices generalia tulerunt interdicta in monasteria, in diœceses, in urbes, in provincias, in respublicas, in regna, ut populos rebelles compescerent, et frequentius ut reges vel magistratus graviter delinquentes, ad meliorem frugem adducerent; tunc enim populi solo metu pœnarum ecclesiasticarum exterriti, et sacramentorum ac divinorum officiorum privationem ægre ferentes, satisfactionem debitam præstabant, vel rationibus et querimoniis suis principem aut magistratus ad satisfaciendum compellebant. Sicque finis intentus sæpe obtinebatur; non tamen semper, et aliquando infelices inde, ob malitiam hominum, prodiere exitus.

Nunc vero, habita ratione incredulitatis vel indifferentiæ in hoc sæculo fere universalis, tale remedium nullius foret utilitatis; risum potius quam horrorem in plerisque hominibus excitaret, et in detrimentum religionis vergeret.

Interdictum *ab homine* ab eo solo auferri potest qui illud tulit, vel ab ejus successore, aut superiore aut delegato : hoc patet ex supradictis in capite IV. Nullum agnoscimus interdictum a jure ipso facto latum, saltem reservatum.

De cessatione a divinis.

Cessatio a divinis est prohibitio facta clericis divina officia in aliquo loco celebrandi, sacramenta administrandi et sepulturam ecclesiasticam faciendi. Alia est *a jure*, quæ ipso facto existit quando ecclesia polluitur vel exsecratur; et alia est *ab homine*, quæ a superiore jurisdictionem in foro externo habente, in signum mœroris, vel ad reparationem gravis injuriæ Deo illatæ, per sententiam particularem alicui loco imponitur, et tunc omnes qui sunt in eo loco afficit. Non tamen est censura proprie dicta; non enim adhibetur ad corrigendos de-